



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. 2. de Constitutionib.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Personarum est perfectio, consistens in fecunditate & communicatione sui ad intra, Pater & filius possunt dici quidem duo spirantes, non tamen spiratores, quia illud suppositorum, hoc verò spirationum dualitatem significat, cum tamen una tantum sit in utroque. Ita *D. Thom. 1. p. q. 31. art. 1. ad. 1. 2. 3. & 4.*

AD TITULUM, II.

Ad finem Numeri primi adde: Propriè dogma est constitutio Ecclesiastica, quæ ad fidem, mandatum autem quæ ad disciplinam; interdictum, quæ ad correctionem malorum pertinet. Alia sanctio, quæ poenam capitalem irrogat, si propriè sumatur. L. sanctio de poena. Alia Canon, quæ in Conciliis promulgatur. Alia Decretum hic, quam Papa non consultus cum consensu Cardinalium tulit. Alia decretalis Epistola, quam Pontifex consultus rescribit. Motus proprius idem, quod edictum. Præceptum idem, quod mandatum. Pragmatica autem Sanctio, quam Imperator cum consilio procerum statuit.

Ad Num. II. Observa, quòd potestas spiritualis immediatè à Deo sit, temporalis autem tantum mediatè, unde Cardinales Jurisdictionem Papæ non conferunt, sicut populus Principi, sed personam tantum designant, cui à Deo vi promissionis à Christo factæ Jurisdictio confertur. *Probat ex cap. Novis. X. de Judic. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 6. § 1.*

Ad Num. 23. ad finem adde: Obiicit: *Matth. 18. & Joan. 21.* Dicitur est omnibus Apostolis, quodcunque liga-

veritis super terram &c. Item sicut me m sit Pater, ita & ego mitto vos, atqui à Patre immediatè est missus Christus, ergo etiam Episcopi omnes immediatè à Christo acceperunt suam potestatem, consequenter non habent illam jure humano, sed potius jure Divino. Respondeo, imprimis Sanctum Petrum fuisse Caput Apostolorum, & ipsi etiam soli specificè à Christo dictum esse: quidquid ligaveris super terram &c. Adeoque Petrum tanquam Caput aliquid speciale tamen habuisse præ cæteris. Respondeo secundo & melius, quòd S. Petrus acceperit à Christo potestatem realem sedi coherentem, reliqui autem Apostoli acceperint personalem personæ eorum coherentem. Vel etiam tertio dici potest, licet cæteri Apostoli S. Petro dicantur pares, id tantum iareligendum est, quoad consecrationem, non autem quoad jurisdictionem.

Ad Num. 36. ad finem adde: Aliàs autem Laici super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quibus obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. *d. Cap. Ecclesia h. tit.* in tantum, ut si quid à laica potestate motu proprio directè simile quid statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam commodum concernit, & favorem, nullius firmitatis existat, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.

AD TITULUM III

De Rescriptis.

Ad Num. 5. ad finem adde: Rescriptum contra jus vel est destructivum,